



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1657

§. 139. Et duxerant illum in concilium suum. v. 66.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45549

ceditur optata; adhuc mitius tecum agitur, quam cum Domino tuo actum est, consolare, noli anxari, vel plorare, dic intra te: dabit Deus his quoque finem.

§. 1. 8. *Conuenerunt Seniores populi & Principes Sacerdotum & Scribae. v. 66.*

1. Quia nocte latae sententiae, vel iudicia facta non habentur valida; sic summo mane iterum congregantur Sacerdotes, Scribae & Seniores ut omnium suffragiis nocturna condemnatio renouetur. 2. Si quidem hanc iustitiam non curauerint, iniquis certe noua concilij conuocandis rat causa; nimirum quomodo nocturna Christi ad mortem condemnatio executioni daretur, an ipsi per se eum deberent occidere, an per Praedem curare occidi. Ut igitur suas scrutationes efficaciter in necem Christi quanto citius perducerent ad finem, magno desiderio expectato lucis exortu confluxerunt; vnde appositè S. Leo sic eos arguit. Hoc mane, & lucis non ortus vobis lucis contigit, sed occalus, nec vestris oculis solitus dies prodijt, sed impijs mentibus nox tetræ cœcitatibus incubuit. Hoc mane vobis templum & altaria diruit; Legem & Prophetas ademit; Regnum & Sacerdotium abtulit, in luctum æternum omnia festa conuertit. *Luce enim insanum cruentumque consilium tauri pingues, vituli multi frementes bestiae, canes rabidi, ut morti authorem vitæ & ignominiae Dominum gloriæ traderentis.*

Domine, deduc me in iustitia tua propter inimicos meos; dirige in conspectu tuo viam meam; inclinaui enim cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem. Nolo me vnquam illum conciliorum esse partem; nec ad ea aduocari, vbi de iustitia opprimenda consultatur.

§. 139. *Et duxerunt illum in concilium suum. v. 66.*

Cum iam dies illuxisset, & tristis illa nox finem accepisset, tristior succedente die; Principesque sacerdotum iterum conuenissent in concilium, ut Christum morti addictum, ei cito inuoluerent, crudeles & impij Tyranni in domo Caiphæ Dominum per crudeles ministros barbaramente & trahentes, duxerunt in concilium, ut iam tunc vere dicere possent ad spectatores; videre quam viliter trahor! quam crudeliter, trahor quam patienter sustineo!

Conservet Deus optimus maximus omnes Regentes, ne in hoc exemplum malitiæ & nequitiae incidant; & fac cum seruo tuo Domine secundum misericordiam tuam, ut iustificationes tuas requiram, semper.